

» salus, quemadmodum existimamus vobis cara est, ut vestris con-
» scientiis quandoquidem in non mediocri aliquo discrimine, sed
» in summo salutis vestrae periculo versamini, quamprimum con-
» sulatis; et nihilominus si monitis et requisitionibus hisce nostris,
» ut debetis, non obtemperaveritis, nobisque dicto audientes non
» eritis, vobis omnibus et singulis auctoritate beatorum apostolo-
» rum Petri et Pauli et nostra, in virtute sanctae obbedientiae, et
» sub divini interminatione judicii, ac sub excommunicationis latae
» sententiae eo ipso incurrenda poena districte percipienda man-
» damus, ut hujusmodi decreta et edicta a majoribus vestris eo a
» vobis hactenus edita, extensa, et promulgata ac omnia in illis
» contenta et inde secuta quaecumque revocetis, et ex vestris ar-
» chiviis, seu capitularibus, locis, et libris, in quibus adnotata re-
» periuntur, deleri et aboleri, et deleta atque abolita esse per uni-
» versum dominium vestrum nuntietis, ac nos de revocatione
» hujusmodi certiores faciatis; quod si haec quoque mandata no-
» stra (quod minime credimus) neglexeritis, maximo nostro
» dolore nobisque plane renuentibus et invitis vim imponetis, ut
» postquam venerabilis frater Horatius episcopus Hieracensis no-
» ster et apostolicae Sedis apud vos nuntius, per quem has nostras
» literas vobis reddi voluimus, de earum praesentatione per eum
» facta nos certiores fecerit, cui plenam et indubitatam fidem ha-
» bebimus, contra vos in praemissis juxta sacrorum canonum
» dispositione ad ecclesiastici interdicti in toto dominio vestro
» aliarumque poenarum, quas supra commemoravimus, executio-
» nem, nec non ad quaecumque alia juris remedia deveniamus;
» quo casu absque alia citatione procedemus, cum praetermissio
» officii nostri, et causae ecclesiae desertae a nobis rationem ex-
» tremo judicii die exigi a Deo nullo modo velimus. Neque enim
» existimetis, nos (qui alioquin pacis et quietis pubblicae cupidis-
» simi sumus, omnesque nostros cogitatus eo intendimus, ut soli
» Deo inservientes rem christianam quantum possumus pacate
» gubernemus, quique omnium animos, praesertim maximorum